

Letter 396a: [After 27 September 1529, Wasselonne], Andreas Cellarius to Capito

The manuscript of this letter is in Strasbourg AST 40, no. 75, f. 458.

Salutem. Legi literas tuas, in quibus putas abbatem forte in gratiam principis id emolumentum nobili illi addixisse, sed nihil horum est. Abbas dum proxime adfuit, prorsus nescivit, me adhuc solvere pensionem istam, sed omnino putavit me a tempore obitus principis Georgii libere et sine omni pensione possidere parrochiam istam, nam cum iterum ab Argentina ad nos rediisset ad prandium me invitabat; ibi forte fortuna de pensione quam quottannis solvo a villico eius securo incidebat. A quo audito abbas ipse coram omnibus dicit mihi quid num adhuc obstrictus essem hac pensione? Ego affirmabam. Ipse vero, admirans ac indignabundus in hoc prorupit verba. Ecce id est esse magistrum aulae. Dii perdant vos nebulones non aliter putabam te libere eam possidere. Id audiebat et ipse [gr.]archigrammateus principis, que item non aliter putarat; a prandio abbas solus mecum hac de re commentabatur rogans an dederit nobilis literas collatitias; aio sic, iubet adferre; adfero, allatis literis, perlegit; perlectis iussit advocari cancellarium, quo presente ostendit literas, cancellarius dicit se nescire manum scribae horum literarum. Dicitque abbati esse dolum. Tandem dicit mihi abbas: confide, ego videbo quo liberem parrochiam hac pensione, etc. Vale, sed rescribam nobili ut iussisti.

Andreas Cellarius tuus.